

in libro, quem de versibus dochmiacis superiore anno in lucem emisi, uberius et exploratius tractata sunt. Facta est horum locorum mentio in Addendis; praetereaque aliquot folia curavi recudenda.

Sed dicendum est breuiter, quid huic nouae Euripidis editioni ornamentum addere decreuerim. Primam omnium hanc mihi legem scripsi, ut textum diligenter recognoscerem, quem in hoc poeta innumeris adhuc mendis contaminatum esse nemo nescit. Proinde quidquid ad hanc rem praesidii deesset, eius copia ut mihi fieret, studiose operam dedi. Ad manum sunt pleraeque Tragici editiones virorumque doctorum ad eum annotationes, quae quidem Critico usui esse possunt, immo ad aliquot Tragoedias nouae etiam Codicum MSS. collationes. Quas magna ex parte Hermanni mei liberalitati debeo, qui insuper de multis locis difficilioribus suam mecum sententiam communicare